



DICASTERIUM DE CULTU DIVINO
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Prot. N. 232/23

DECRETUM
de lectionibus adhibendis
in Missa “ad postulandam continentiam”

Simplex fac cor meum, ut timeat nomen tuum (cf. Ps 86, 11b). His verbis psalmista necessitatem declarat servandi cor indivisum ut in viis Domini ambulare valeamus.

Editione typica tertia Missalis Romani exarata, formularium Missæ “ad postulandam continentiam” Missis pro variis necessitatibus vel ad diversa adiunctum est (cf. n. 39).

Tali modo, hoc nempe memoratum est, quod omnes baptizati vocantur ad virtutem istam colendam indiviso ac mundo corde, id est non tantum qui vitam religiosam ducunt vel in ordinibus sacris constituti sunt, sed etiam iuvenes et coniuges, sicut aperte Concilium Vaticanum II docuit (cf. *Gaudium et spes* n. 49).

Eo tempore tamen, nulla apta lectionum selectio quoad formularium illud indicata est neque addita in Ordinem lectionum Missæ.

Nunc vero, quoniam opportunum videtur formularium quoque Missæ “ad postulandam continentiam” ditare idoneis lectionibus biblicis, Dicasterium de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, vigore facultatum peculiarium sibi a Summo Pontifice FRANCISCO tributarum, lectiones biblicas in præfata Missa adhibendas, quæ huic Decreto adnectuntur, publicare atque addere in Ordinem lectionum Missæ statuit.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Dicasterii de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, in sollemnitate sancti Ioseph, sponsi beatæ Mariæ Virginis, hoc anno die 20 mensis martii 2023.

Arturus Card. Roche
Præfectus

+ Victorius Franciscus Viola O.F.M.
✠ Victorius Franciscus Viola, O.F.M.
Archiepiscopus a Secretis

Additiones in Ordinem lectionum Missæ

IV. PRO QUIBUSDAM NECESSITATIBUS PARTICULARIBUS

27a. Ad postulandam continentiam (MR, 39)

948a

LECTIONES E VETERE TESTAMENTO

1. **Sir 2, 18-23:** « *Qui timent Dominum, praeeparabunt corda sua* ». Qui timent Dominum...
2. **Ez 36, 24-29a:** « *Dabo vobis cor novum et spiritum novum* ». Haec dicit Dominus: Tollam vos de gentibus... 29 usque ad inquinamentis vestris.

949a

LECTIONES E NOVO TESTAMENTO

1. **Rom 12, 1-2. 9-18 (longior) vel 1-2. 9-13 (brevior):** « *Exhibete corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem* ». Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei...
2. **1 Cor 6, 12-15a. 17-20:** « *Glorificate ergo Deum in corpore vestro* ». Fratres: «Omnia mihi licent!». Sed non omnia expediunt... 15 usque ad membra Christi sunt?
3. **Gal 5, 16-25:** « *Si vivimus Spiritu, Spiritu et ambulemus* ». Fratres: Spiritu ambulate...

950a

PSALMI RESPONSORII

1. **Ps 86, 1-2. 3-4. 5-6. 11. 12-13**
R. (12a) Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo.
2. **Ps 112, 1-2. 3-4. 5-7a. 7bc-8. 9**
R. (cf. 1): Beatus vir qui in mandatis Domini cupit nimis.

951a

ALLELUIA ET VERSUS ANTE EVANGELIUM

- Io 13, 34:** Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem;
Sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem.

952a

EVANGELIA

1. **Mt 5, 13-16:** « *Vos estis lux mundi* ». In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis : Vos estis sal terrae...
2. **Io 15, 12-17:** « *Ut vos eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat* ». In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Hoc est praeceptum...